

habet & affectio. Nec quod infinitū est ab alio quod infinitū etiā sit, aliquid accipere aut pati potest. Sint enim A & B immēsa magnitudines, & C D tempus quo B ab A aliquid accepit ac tulit, E verò rei immēsa pars, quonia totū B perpessum est, non pari tēpore idem accepit. Quod enim minus est breuiore tēpore positū sit moueri: sit ergo E id quod ab A motū est D tēpore. Quod quidem D ad C D est, hoc E pars ipsius B est ad aliquid quod est finitæ magnitudinis. hoc ergo necesse est ab A eo tempore quod C D literis notandum est, moueri. Ponatur enim ab eodem maiore breuiorēque tēpore quod maius, & quod minus est pati: quæ proportione tēporis diuisa sunt. Nullo igitur tēpore quod sit finitū, quidquā immensum ab alio quod etiā immensa sit magnitudine, moueri potest. Immenso igitur mouebitur. At immensum tēpus terminū finēmque non habet: id autem cui motus allatus est, habet. Ac si corpus omne quod sensu percipitur, vim efficiendi aut accipiendi, & quasi patienti habet, aut vtrāque, fieri non potest, vt immensum corpus sub sensu cadat. Atqui corpora quæ in loco sunt, sensu percipiuntur omnia. Non est igitur extra cælum corpus ullum immēsa magnitudine. atqui neque finitū. Nullum ergo corpus omnino est extra cælum. Si enim intelligētia & ratione cerni potest, in loco erit. quādoquidē extra & intra, locum significant. Ita sub sensu cadet: nihil autē quod nō locum obſidet, sub sensu cadit. Rationibus autem quæ dialecticos magis attingunt argumentari licet hoc modo. Neque enim in orbem quod interminatū est, similēsque inter se partes habet, ferri potest: medium enim rei immēsa non est, & quod in orbem fertur, circum medium mouetur: nec per lineam rectā. oportebit enim alterū locum esse tam magnum atque immensum ad quē naturā vi, & alterum parem, ad quem cōtra naturam mouebitur. Præterea siue natura motum habeat, quo per rectam lineam ciedatur, siue contra naturam moueat, vtroque modo infinitam vim quæ motum afferat, esse oportebit. Nam & infinita est eius quod est immensum, & eius quod est infinitum, infinita est. Ita erit immensum id etiam quod motum afferet. At in libris de motu ratione cōclusum est, nihil eorū quæ finita sint, immensam vim habere, nec finitam quicquā eorum quæ ipsa immēsa sunt. Si ergo natura & contra naturā moueri potest, duo infinita erunt, quod ita mo-

B.ij.